

22.

DISSERTATIONEM HANC IN AVGVR ALEM
HISTORICO - MEDICAM

DE
P E S T E

GVI PRAEMISSA
EXPLICATIO RELIQVIARII S. SEBASTIANO
CONSECRATI
P R A E S I D E
LAVRENTIO HEISTERO

MED. D. SER. DVC. BRVNOV. AC LVNER. A CONSILIIS AVLICIS ET
ARCHIATRO PRAXEOS CHIRVRGIAE AC BOTANICES PROFESSORE
PVBLICO ET PRIMARIO ACAD. SCIENT. CAES. NEG NON REG.
LOND. AC BEROL. COLLEGA LONGE GRAVISSIMO FACULTATIS SVAE
SENIORE ET H. T. DECANO ATQVE BRABEVTA
SPECTATISSIMO

PATRONO PRAECEPTORE AC PROMOTORE SVO
PER OMNEM VITAM PIE VENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS EIVSQVE PRIVILEGIIS
SOLITO MORE OBTINENDIS

IN IVLAEO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS
SOLEMNI ERVDITORVM EXAMINI
SUBMITTIT
AVCTOR RESPONDENS

M. GVSTAVVS PHILIPPVS NEGELEIN
NORIBERGENSIS.

DIE ~~XXVII~~ DECEMBRIS MDCCXXXIIII.

HELMSTADII
TYPIS FAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.

22

PARATATIONIS HABITUATIONIS
HISTORICO-MUSICALIS

D2

PESTE

CHARTA 12. 2. PLATEA 1. 1. 1. 1. 1. 1.

CHARTA 12. 2. PLATEA 1. 1. 1. 1. 1. 1.

CHARTA 12. 2. PLATEA 1. 1. 1. 1. 1. 1.

CHARTA 12. 2. PLATEA 1. 1. 1. 1. 1. 1.

CHARTA 12. 2. PLATEA 1. 1. 1. 1. 1. 1.

CHARTA 12. 2. PLATEA 1. 1. 1. 1. 1. 1.

CHARTA 12. 2. PLATEA 1. 1. 1. 1. 1. 1.

CHARTA 12. 2. PLATEA 1. 1. 1. 1. 1. 1.

CHARTA 12. 2. PLATEA 1. 1. 1. 1. 1. 1.

CHARTA 12. 2. PLATEA 1. 1. 1. 1. 1. 1.

CHARTA 12. 2. PLATEA 1. 1. 1. 1. 1. 1.

CHARTA 12. 2. PLATEA 1. 1. 1. 1. 1. 1.

CHARTA 12. 2. PLATEA 1. 1. 1. 1. 1. 1.

CHARTA 12. 2. PLATEA 1. 1. 1. 1. 1. 1.

CHARTA 12. 2. PLATEA 1. 1. 1. 1. 1. 1.

CHARTA 12. 2. PLATEA 1. 1. 1. 1. 1. 1.



DISSERTATIO HISTORICO-MEDICA
DE PESTE.



I.

Est natura mortalium vitae ac conseruationis suae impense amans; ita plerumque curam et operam, quantamcunque potest, adhibere solet, ne quid omittat eorum, quae ad vitam, et, quae vitae quasi vita est, sanitatem corporis tuendam, atque aduersus hostes illius prae-muniedam facere videntur. Mirum ergo nemini esse debet, cum perpetua fere mortalium generi cum morbis lucta sit et concertatio, contra hos auxilia nunquam non et quaesita auide, et studiose excogita ta fuisse.

A 2

II.

II.

Facile hinc intelligitur, cum tot inter alia inventa pulcerima et vtilissima caput extollat Medicina, salutaris siue artis siue scientiae titulo iam olim insignita, summae hanc semper existimationis inter homines fuisse, ac non tantum diuinae originis habitos, sed Deorum quoque nomine cultos, quotquot medendi peritia excellerent. Sic apud OVIDIVM, *Metam. Lib. I. APOLLO*, a quo in hunc diem *Iatrica Apollinea* appellari consueuit, de se ait:

*Inuentum Medicina meum est, opifercque per orbem:
Dicor, et herbarum subiecta potentia nobis.*

Et AESCVLAPIVM constat, eandem ob rationem pro Apollinis filio passim habitum, interque Numina relatum, et praecipue Epidauri, quae vrbs fuit Argolidis in Peloponneso, templo insigni honoratum, et ex eo, sub serpentis specie, pestis tempore, naui Romam aduectum esse, referente, praeter VALERIVM MAXIMVM et LIVIVM, citato NASONE, *Metam. L. XV.* Conferatur de principibus Diis, artis medicae tutelaribus, Iosephi du Pont Exercitatio.

III.

Est autem in primis notatu dignum, quod HERCVLES propterea quondam *ἀλεξικανος* i. e. malorum auerter ac depulsor, nominatus fit, quia et ferarum ac monstrorum se domitorem monstrabat, et, ceu GILBERTVS COGNATVS *Lib. III. Narrat.* tradit, pharmaca multa aduersus venenum et serpentum morsus inuenerat; *Ἀλεξικανος* quippe antiqui vocarunt daemones siue genios benignos, quos nocu-
menta-

menta et diras arcere atque amoliri putabant. Vnde et ἀποτρόπαιοι, ἀποκομπαιοι, λυσοι, Φύλαι et Φύξαι audiebant; vid. POLLUX in *Onomastico*.

IV.

Confirmatur porro haec Herculis scientia media eo, quod NATALIS COMES Mythol. Lib. VII. scribit: non solum homines malefici et latrones, aut ferae crudelissimae, vim Herculeam senserunt sibi esse formidabilem; verum idem etiam, cum ad mortuam Alcestin, Admeti uxorem, venisset, morte deterrita, viuam illum marito restituit. Deinde etiam Chiron Centaurus, herbarum cognitione celebris, Aesculapii et Herculis praceptor fuisse fertur, in cuius schola Alcides tantum profecit, ut ad eum, tanquam opifernum, aegrotantes et male habentes confugerent. Id, quod, praeter PLATI testimonium, confirmat MOTELL. AG. II. Scen. II. ubi seruus Tranio, Theuropidae seni inquiens: Tu, ut occipisti, tantum quantum quis fugies, atque HERCVLEM innocabis, hoc responsum audit: HERCVLES, te invoco! Et ARISTOPHANES, in cuius Pluto, Chremylus, cum videret horridam squalidamque Peniam, exclamat: Ήεανδεις! vid. TVRNEBVS Lib. XVI. 10. item GVTHER. Cap. XVI. Lib. IV. de iure vet. Pontif. Sed et praeter ea nummi aliquot, qui ad manus sunt, ex una parte caput Deae, seruo redimitae, forte Diana, ex altera Herculem cum clava et leonina pelle exhibent, additis vocibus: Ήεανδεις Σωτηρος. Conf. de Herculis auxilio implorato OVID. Metam. Lib. XV.

V.

Ingeniosa vero sunt quam maxime, quae Cel.

A. 3.

ante

ante hac Ienensis Academ. Doct. et Prof. Medic. G.W. WEDELIVS, *Cent. II. Exerc. Medico-Philolog. Dec. I. Exerc. III.* de Hercule Medico profert. Obferuat nimurum, testimonium Corn. Celsi Herculem facere Medicum antiquissimum et celeberrimum, deinde, dictum esse Alciden *ατο της αληνης*, et *αλεξινανος*, quod nullum malum maius vel grauius esset morbis; pro ut et ab eo, apud Hippocratem, morbi quidam nominentur Herculei, non quod ipse Hercules istis vexatus fuerit, sed quod tanti fuerint, ut Herculeis opus habuerint remediis; porro, pingi Herculem cum poculo, non, quod ebrius vinum fuderit ex uero, sed ad denotanda pocula sanitatis, pro abigendis morbis et reparanda valetudine; fuisse domitorem monstrorum, ac idcirco clava et leonis exuuiis insignem, ad febres, hydropem, cancrum, epilepsiam aliosque morbos saeuissimos, ab eo curatos, significandos; expurgasse Augiae stabulum, quod morborum grauissimorum matrem et nutricem, *κανοχυμιαν*, expurgauerit; Theseum et Pirithoum, imperfecto Cerbero, ex orco reduxisse, quod eosdem a desperatis morbis vitae restituerit, etc. Vid. *Act. Erudit. Lips. an. 1706. p. 252.*

VI.

Quemadmodum autem mentis humanae, sibi relictæ, et revelationis diuinae radiis destitutæ, imbecillitas obstat gentilibus quo minus capere aut credere possent, Numen vnum rebus mundi vniuersi moderandis par esse, atque omni omnino tempore, in omnibus, etiam maxime diffisis, locis ac regionibus, vim suam exercere, aut in

in omnibus malis et infortuniis hominibus quibus-
cunque praefecto esse, vnde πολυθεος hominum a-
nimos inuasit; ita incredibilis morborum multitu-
do effecit, vt vix vlla pars humani corporis esset,
cui, si quo malo premeretur, non peculiare aliquod
Numen praeficeretur ac destinaretur, v. g. linguae
Mercurius, apud NATAL. COMIT. Mythol. lib. V.
c. 5. Oculis Aesculapius, conf. GRVTERVS Inscript.
p. 65. vbi in Inscript. C. Iul. Frontonianus pro reddi-
tis sibi luminibus gratias agit.

VII.

Atque utinam in populo Dei et inter Christia-
nos non similis superstitione inualuisset! Iehouah sig-
nificauit Israelitis, Aegypto egressis, et superato
maris rubri transitu, Archiatrum se ipsis fore, Exod.
XV. atque omnem morbum, quem antea imposuerat
Aegyptiis, non impositurum Israeli; aequum
ergo fuerat, in Iehovae, Medici omni exceptione
maioris, bonitate, sapientia et omnipotentia acqui-
escere, neque ab alio, quisquis ille sit et quomodo-
cunque nominetur, opem et axilium in morbis pe-
tere, id, quod tamen, tam Vet. quam Noui Testa-
menti temporibus, multis modis factum, satis su-
perque constat.

VIII.

Quis enim est, qui ignorat, inuentos esse No-
ui Foederis aevo passim, qui ad modum gentilium,
a religione vera alienorum, per cacozeliam quan-
dam, quasi Patris coelestis manus nimis esset abbrevi-
ata, quam vt in loca omnia pertingeret, et qua-
fi

13

DISSE^RTAT^O HISTORICO-MEDICA

si aures eius nimis obtusae forent, quam ut omnium et singulorum vota precesque percipere posset, partiri regimen et curas eius inter Sanctos ausi, fibi aliisque persuaserunt, opitulari eos supplicibus aegrotis, et varia imo omnia mala, quae miseros excruciant homines, vel ablaturos vel leuatueros esse. Ita notissimum est, ex multorum superstitionum sententia e Sanctis *Valentinum* a morbo caduco, *Antonium* a sacro igne liberare, *Otiliam* oculis, *Apolloniam* dentibus, *Benedictum* calculo laborantibus, *Blasium* in doloribus faucium, etc. operi ferre, et, quod huc in primis facit, peste afflictis *S. S. SEBASTIANVM ET ROCHVM* auxilio praesto esse. Vnde morem veterum Graecorum, qui, recensente *STRABONE Lib. VIII. Geograph.* in templo eius Numinis, quod iuasse credebant, tabulas, morbi ablati relatione signatas, adpendebant, illi vtique imitantur, qui sigillariis et oscillis i. e. cereis imaginibus et suam et brutorum animalium salutem, Diuorum auxilio recuperatam, testantur. Vid. *POLYDORVS VIRGILIVS de rerum inuentor. L. V.c. I.*

IX.

Non est praesentis instituti nostri, prolixius haec enarrare, vel etiam inquirere, quantopere vnico, vero et supremo Numinis eiusmodi hominum, vtut beatorum et in regno gloriae constitutorum, non tamen omnipraesentium, omnipotentium et omnisciorum, cultus religiosus displiceat: id modo nunc notamus, sic erratum olim a primo et antiquissimo possessoRE RELIQVIARII, quod a SVM-

SVMME VENERANDO PARENTE *meo adseruatur,*
et cuius considerationem breuissimam nunc adgredi a-
nimus est.

X.

RELIQVIARII nomine generatim vulgo significari solet *arcula, pyxis, aut lagenula, recondendis et adseruandis reliquiis sanctorum aut personarum aut rerum idonea,* et Lipsanotheca ideo Graeco idiomate dicenda. Nostrum Reliquiarium ex purissimo confectum est argento, figuram habet globi (Tab. N. I. et II) miro artificio confecti, qui, mediante clave argentea (N. IIX) apertus, in quatuor quasi folia aut locularmenta (N. III) se expandit, quorum in medio canalis quadrangularis (N. IV.) opere encaustico obductus, exsurgit. Folia modo dicta in suis vtrinque lateribus incisas et eodem opere ornatas habent imagines octo Apostolorum, *Petri, Pauli, Iudae Thaddaei, Simonis, Iacobi minoris, Matthiae, Thomae, Bartholomaei et Iacobi maioris,* qui ex criteriis sibi propriis, et instrumentis, quibus ad mortem rapti fuerunt, cuique appositis, dignoscuntur. Cur vero tantum hi octo, exclusis reliquis, Apostoli in conspectum hic prodeant, eius rei incerta esse causa mihi videtur, nisi forte defectus spatii obstetisse credatur. Cauitates foliorum, vti videtur, (neque enim aliud usum vel finem indicare facile fuerit,) inseruiebant recondendis reliquiis, et nunc quoque particulae duae crucis Dominicae, ex traditione vetustissima, cum frustulis aliquot aureae portae, Romae in Iubilaeo forte aliquo apertae, ibi spectantur.

XI.

Ad exteriā faciem reliquiarii quod attinet, ibi
quatuor in ambitu se offerunt spatia, artificio singu-
lari elaborata, et inter quae lineis octo constantes,
ac semicircellis inclusae, preces latinae leguntur, li-
teris maioribus et charactere antiquo expressae:


O SANCTE SEBASTIANE MILES CHRISTI
BEATISSIME QVI TVIS MERITIS TOTAM
LOMBARDIE LIBERASTI A MORTIFERA
PESTE LIBERA ME AB IPSA ET A MALIG-
NO HOSTE AMEN.

Operculum superius (N. V.) in superficie exhibet mo-
nogramma VERBI, inferiori autem parti eius (N.
VII.) adfixa est clavis (N. IIX.) Operculum inferius
(N. VI.) monstrat Ioannem Euangelistam cum aquila
et libro, simulque imagunculam B. Virginis Mariae,
cum filio Iesu, radiis vindictaque cinctam, quam Io-
annes vultu erecto adspicere videtur.

XII.

Quam vellem nunc, quibus in locis, et in quo-
rum potestate antehac cimelium hoc, XV semun-
cias argenti pondere adaequans, haferit, indicare
liceret! Id vnicum vero mihi constat, quod ante a-
liquot decennia Norimbergam adlatum sit ex Italia,
vbi forte in Sacrario quodam adpensum, vel pro a-
muleto, praecepue ob initium Euangeliū Ioannis, et
subiectam vocem VERBI sive του λογου, circumgesta-
tum fuerat, a praedantibus vero hostibus abreptum.

XIII.



Colin. C.M.N.

G.L. sc.



DE PESTE.

xx

XIII.

Maiorem attentionem et curam postulat, et viam simul sternit ad aetatem Lipsanothecae nostrae probabiliter saltem detegendam, quod de **SANCTO SEBASTIANO** praedicatur, eum totam Lombardiam a mortifera peste liberasse, ad quem ideo preces submissas direxit ignotus possessor. Hic ergo, quod in transitu tantum monebo, occurrit specimen manifestum et documentum superstitionis eius, quam in praecedentibus improbaui, simulque potentiae, **S. SEBASTIANO**, tanquam alteri cuidam Herculi Christiano et ~~et aλεξινας~~, adscriptae.

XIV.

Enimuero tria nunc mihi breuiter euoluenda video. Primo videlicet dicendum erit de **s. SEBASTIANO**, qui nomine *militis Christi beatissimi* salutatur; deinde de peste mortifera, a qua totam Lombardiam laudatus *martyr liberasse* fertur; tum, qua pietate et veneratione opem eius efflagitauerit illa regio; et denique, cur, praeter **S. Rochum**, praecipue **S. Sebastianum** virtus aliqua aduersus pestem adscripta fuerit.

XV.

De sancto igitur Sebastiano, Martyre Romanaeque Ecclesiae defensore, cuius memoria in Martyrologio Romano et in Actis Sanctorum, Antwerpiae a Ioanne Bollando et Godefrido Henschenio primum editis, ad XX. Ian. refertur, haec in praesenti adducere visum est. Patria illi erat Narbo, urbs Gallica, sedes Episcopalis inclyta, educatus vero est Mediolani, e qua ciuitate mater ipsius ori-

B 2

unda,

unda, et ab Imperatoribus Diocletiano et Maximiano, circa finem Seculi A. N. C. tertii, militaribus officiis adhibitus, in quibus laudabiliter se gesit. Cum vero Christianus esset, eandem fidem amplexis nulla in re defuit, eosque ad constantiam excitauit, quaenam aperte Christianismum non profiteretur. Cum audisset, Marcellianum et Marcum, fratres geminos et viros insignes, ideo quod Christo nomen dedissent, iussu praefecti Romani, Chromatii, in vincula coniectos, adibat custodem eorum Nicostratum, et illum ad Christianam Religionem conuertebat. Adducebat Polycarpum in carcerem, ut ibi gentiles plurimos baptizaret, et imbuerebat fide Christiana ipsum praefectum Romae cum filio. Permisserat vero Pontifex Romanus SEBASTIANO, ut sub militari veste latitaret, et tanto securius aliis Christianis opitulari posset. At enimvero paullo post innotuit SEBASTIANI Christianismus, cumque praefectus Imperatori Diocletiano, hosti Christianorum et persecutori acerrimo, id significasset, ille SEBASTIANVM aduocatum, et nullis neque promissionibus neque minis ad cultum idolorum permotum, palo alligari et sagittis configi iusfit. Post mille iactus telorum, pro exanimi habitus SEBASTIANVS et relictus, a femina Christiana, Irene vocata, vinculis solutus, morti eruptus, et breui tempore sanatus fuit. Sic igitur vitae quasi restitutus, tamen non dubitauit se iterum Diocletiano et Maximiano fistere eisque faeuitiam atque iniusticiam persecutionis reprobrare. Non tulit autem hanc eius libertatem Diocletianus, sed pium virum in foro flagellis ad mortem vsque caedi, et corpus in cloacam coniici mandauit, e qua tamen ab aliis Christianis

nis extractum et sepultum fertur a. 287. Licet hic obseruare, cum Sanctus hic, de cuius facta Canonisatione nihil certi proditum est, non legatur tempore pestis aut vixisse aut viuens quosdam ab ea liberasse, tamen Seculis sequentibus pro pestis patrono cultum habitumque una cum s. ROCHO fuisse. De hoc posteriore, anno demum 1327. in carcere mortuo, nonnulla quoque hic exponere, non inconsul tum duco. Natales ille debuit Monti Pessulanu quo nomine celebris Galliae vrbs insig- nitur, parentibus opulentis, et pectus cruce rubicunda signatum in mundum attulisse dicitur. Adolescens, parentibus defunctis, diuicias omnes inter egenos diuisit, Italiam petiit, et passim nosoconia visitauit, in primis autem peste adfectos manus dextrae attactu et signo S. Crucis fanauit, ipse tandem hoc malo correptus per miraculum restitutus fuit. Venetiis, vbi exuuiae illius adseruantur, templum honori illius consecratum est. Cumque An. 1414. Constantiae Concilium haberetur, et pestis contagium atrocissime saeuiret, Sancto hoc inuocato, et procescionibus in eius honorem institutis, lues ces- sasse dicitur.

XVI.

Ceterum peste mortifera vrbes Mediolanum ac Ticinum, cum omni Longobardia, saepius adfictas, disimus ex Annalibus, quorum aliqui in ante memoratis Actis Sanctorum Antwerpensis, Tom. II. Mense Ianuario, leguntur. Vnde quaedam exempla huc transferre placet:

I. IVO in Chronico, et PAVLVS DIACONVS, Lib. VI.
Cap. II. de gestis Longobardorum memorant,
B 3 circa

circa annum Domini 620, per tres menses, Iulium, Augustum et Septembrem, pestem Ticinum adeo depopulatam, vt, ciuibus inde fugientibus, herbae et fruticeta innascerentur plateis, et tantam fuisse multitudinem morientium, vt etiam parentes cum filiis, atque fratres cum sororibus, bini per feretra positi, ad sepulcra deducerentur. Aiunt etiam, visibiliter multis apparuisse bonum et malum genium, quorum hic, venabulum manu ferens, illius iussu, domos ciuium Ticinensium percuteret, quo facto, die sequenti, multi homines mortem oppetierint.

II.) Anno 932. dira Lombardiam pestis inuasit lues, qua Papienses praeter ceteros grauisime afflicti, remediis omnibus desperatis.

III.) Anno 1006. rei frumentariae inopiam grauis vsque adeo pestilentia in Lombardia excepit, vt a sepeliendi taedio adfectis adhuc spiritum ducentes obruerentur cum mortuis.

IV.) Annis 1383, 1400, et 1500. magnam stragem incolarum perpesta est ea pars Italiae, et Seculo etiam decimo sexto et septimo aliquoties contagio infecta legitur.

Iam si quis quaerat, de quanam mortifera, ex his memoratis, peste legatur in *Reliquario nostro*, curatior inspectio characterum, in spatiis supra (§. II.) descriptis obuiorum, quorum multi a nostrae vel recentioris aetatis characterum formatione valde discrepant, et antiquiora tempora produnt, eo me perducit, vt, saluo tamen sapientiorum iudicio, ad **SECVLVM QVARTVM** vel **QVINTVM** illud referam.

XVII.

XVII.

Non necessarium quidem puto, vt prolixo nunc excerptam, quae Auctores ante nominati in *Actis Sanctorum* tradunt varia genera supplicationum, templorum et facellorum, ieiuniorum et processionum, vt vocant, quibus tempore pestis in primis S. SEBASTIANVS cultus et imploratus fuit, vt malum auferret et ab eo tot millia hominum liberaret; nonnulla tamen subiungere conueniens esse duco. Ac primo quidem e PAVLO DIACONO referunt, durante pestilentia, anno 620. Ticinum, imo Lombardiam omnem, deuastante, per reuelationem cuidam dictum esse, pestem non prius quieturam, quam in Basilica B. Petri, quae ad vincula dicitur, Sancti Martyris altarium poneretur; quo ibi constituto, et delatis eo ab vrbe Roma S. SEBASTIANI reliquiis, pestem mox cessasse. Exstat adhuc in ea Basilica, vt BARONIVS scribit, egregium SEBASTIANI monumentum, et veneranda imago, opere musivo, vt vocant, expressa, adhuc integra, senili aspectu et barbata: quod admoneat pictores, qui SEBASTIANVM palo alligatum facie iuuenili plerumque pingunt, nisi forte robur eius iuuenit exprimere velint iuuenili et vegeta corporis forma.

XVIII.

In antiquissimo et celeberrimo S. Victoris coenobio Massiliae, cui olim Ioannes Cessianus praefuit, in diuino officio, post sanctorum Apostolorum commemorationem ad laudes et vespertas, quoties illas recitari Ecclesiae ritus sinunt, subiicitur S. Victoris Martyris commemoratio, tumque SS. ROCHI et SE-

BASTI-

uASTIANI ista: Sancti, Sebastiane et Roche, pretiosi! servorum preces suscipite clementer, ut, qui vos elegit ad claritatem visionis aeternae, a peste epidemiae nos liberet, celebrantes vestram sanctam commemorationem! Gaudium sit in coelo, et in terra pax hominibus bona voluntatis! V. Orate pro nobis sancti Sebastiane et Roche! R. vt mereamur praeservari a peste. Oratio: Deus, qui B. Sebastianum Martyrem virtute constantiae in passione roborasti, et B. Rochum, Confessorem tuum, in languore pestis et epidemiae, quam in suo corpore pro tui nominis gloria passus est, iuuisti, praesta, quaesumus, vt, qui eorum memoriam agimus, meritis ipsorum a mortifera peste corporis et animae liberemur!

XIX.

JOSEPHVS quoque RIPAMONTIVS, *histor. eccl. Mediolan. P. IV.* refert: Ceterum supplicatione absoluta, veluti coelestes induciae exiissent, strages et acerui morientium, et ubique funera faciesque urbis inuisae Deo. Et piacula omnia auertendae pesti solicite adhuc undique Carolus inquirebat; tunc subiit eius animum recordatio Martyris Sebastiani, cuius apud Deum gratia et commendatione, liberatas olim simili clade urbes, memoria exstat. Hunc ab materna origine reputans esse urbis huius ciuem, sperabat, in tanto publico malo, velut alteri patriae non defuturum, si pie pureque inuocaretur. Itaque et supplicationibus iam ad praecipua templa habitis, et procurato mysteriis populo, concionatus ad multitudinem attonitam, de inuocanda Martyris ope, hortari institit, vt votum ei publice nuncuparent. Affirmabat, ante Calend. Ianuarias depulsam fore pestilentiam, crederent tantummodo et abstinerent a peccatis et inno-

innocie agerent, cetera Numini tutelarique suo permittentes. Vaticinium hoc fuisse diuinitus praesagientis animi, post eventum credidit ciuitas, ac viue nuncupatis votis, et si nequaquam salubria esse statim corpora coeperrunt, strages tamen et acerui mortuorum aliquanto quotidie minores siebant. Ad eam diem, quae finem alatatura malo praedicta fuerat, abiit pestilentia ex urbe, Martyriique liberatori templum posuere ciues, in iisdem vestigiis, ubi posita vetus aedicula Martyris eiusdem fuit, donaque illuc portauere; et festus D. Sebastiani dies quotannis inde urbi agitur.

XX.

Sed video nunc tandem respondendum mihi ad illam quaestionem, quae §. XIV. mota est, cur praeter S. Rochum praecipue S. SEBASTIANO virtus aliqua aduersus pestem adscripta fuerit? Spectant huc, quae leguntur in Actis Sanctorum, sequentia: Philibertus Marchinus Nonariensis, in Philosoph. Problemata. de pestilentia, probl. 8. cur pro peste anvertenda D. Sebastiani patrocinium vbique imploretur? ita scribit: Conieclura forte illa esse potest, quam retulit Pierius Valerianus lib. 42. Cum enim, apud Veteres, pestis hieroglyphicum fuerint Apollinis sagittae, in Graecos emissae; nec non apud Sacras Literas ille morbus Numinis infensi telum sit, et contagia, tum vasa mortis, tum ardentissimae diuinae irae sagittae nuncupentur; ideo Christiana pie-tas, e Diuorum numero, Sebastianum, Jagittis impetum, aduersus pestiferum morbum sibi tuelarem elegit, cuius patrocinium cum saepe multae urbes, praesertim Mediolanensis A. C. MDLXVI. re ipsa probauerint, idcirco communi Christianorum voto pro hoc morbo depelendo

C

lendo

lendo Sebastianus inuocatur, nullis aliis extantibus in eiusdem gestis huius rei vestigiis.

XXI.

Post hanc historicam tractationem, quam Reliquiarii nostri contemplatio exigere omnino videbatur, *Medica nunc pestis consideratio locum suum postulat, et primo quidem Etymologiam vocis breuiter considerare libet.*

XXII.

Nomen Latinum pestis quidam deritunt a Graeca voce πετενί, quod multi, dum pestis graffatur, canticant. *Graecis* vocatur λοιμός, voce deducta forte ἀπὸ του λιμου, quod pestis saepe famem sequatur, licet tritum illud μετα λιμου ὁ λοιμός non sit vniuersale et multa in contrarium exempla a variis auctoribus profertantur. *Hebraeis* pestis dicitur רְבָרָ, a rad. רְבָרָ, locutus est, perdidit, eoque sensu in S. Codice passim venit. *Angli* vocant *the Pest*, item *the plague*. *Gallia peste*. Vox pestis late sumpta denotat omnem morbum malignum subito lethalem; stricte vero et ναρ' εξοχη illum morbum, de quo nunc plura statim differere licebit. *Metaphorice* pestis interdum nominatur homo deperditus, regioni aut ciuitati nocivus, ut a CICERONE in *Orat. ad Luc. Catil. Secund.* §. I. et alibi.

XXIII.

Definitionem pestis ναρ' εξοχη dictae nunc prolaturus, difficillimum sane opus adgredior. Quot enim legi de Peste scriptores, quorum satis multos ex Ill. Dn. PRAESIDIS Bibliotheca mutuos accepi, tot fere inueni diuersas de eius vero typo opiniones.

Pro-

Propria autem hac in re experientia me ipsum destitutum profiteor. Interim ex optimis Loimographis haec in peste aut omnia simul, aut singula quaeque separatim, adesse symptomata didici, *febrem* nempe *acutam malignam*, *bubones*, *carbunculos* et *petechias*, quas tamen ultimas semper fere tantum in illis, quibus malum lethiferum fuit, ut mortis legatos obseruatas inueni. Licebit igitur, saluo tamen peritiorum in arte iudicio, genus pestilentiae constituere in *morbo contagioso*, et *differentiam specificam* in *symptomatisbus modo enumeratis*, ut hinc talis definitio prodeat: *Pestis est morbus contagiosus aut febre acuta maligna, aut bubonibus, aut carbunculis, aut petechiis, sifatus.*

XXIV.

Per *morbum contagiosum* intelligo talem morbum, qui contactu mediato vel immediato ab uno subiecto ad alterum transfertur; per *febrem*, augmentum motus solidorum, praecipue cordis atque arteriarum, et actionis eorum in fluida contenta, a causa interna; per *febrem acutam malignam*, talem febrem, quae et grauitate symptomatum et breuitate decursus alias antecellit; per *bubones*, tumores passim in corpore, maxime tamen in glandulis, prouenientes inflammatorios; per *carbunculos*, tumores quoque inflammatorios, in quorum vero medio cuticula in formam vesiculae eleuata deprehenditur, circumiacentibus primo rubris, breui vero liuescentibus; per *petechias*, maculas purpureas et liuidas, magnitudine pulicium morsibus fere aequales. Ponunt quidem alii *febris nomen pro genere definitionis*; id vero facere nonnulli ad evitanda praeiudicia; nam nonnulli de peste Medici scriptores expressam febris men-

tionem non faciunt, et insignis ille ISBRAND. DIERBROEKIVS claris verbis testatur, pestem sine febre incepisse, et inter differentias pestis febrem refert PAVL. BARBETTE, Diemerbroekii coaeetus, his verbis vtens: *Quaedam autem pestis omnino sine febre est, hoc qui ignorat, maiori indiget experientia, et se non satis in bonorum Auctorum scriptis versatum proficit. Non paucis adfui, quibus alias sanis bene et comedentibus et dormientibus bubones erant in inguine.*

XXV.

Origo pestis satis obscura est. Illi, qui stellas in tellurem nostram influere censem, indeque omnia bona et mala deriuare conantur, adscribunt pestem astrorum influxui aut eorum coniunctioni, sicut olim MARSIL. FICINVIS, philos. Platonicus, pestis, quae anno 1478. totam Europam inuasit, causam coniunctioni Martis et Saturni in signo humano tribuit. De his vero apponi meretur iudicium THOMAE WIL-
LISII: *Insuper solent, inquit ille, Astrologi ex siderum adspecibibus aut Cometarum apparentiis pestem imminentem praedicere. Verum hoc potius inanis conjectura, quam certa scientia appellari debet. Alii exhalationes e terrae cauernis, alii aërem accusant. Alii pestem immediate a Deo prouenire credunt, et adducunt exempla ex S. Literis, nempe II. Mosis XII. vbi omnes primogeniti Aegyptiorum vna nocte peribant, et II. Sam. XXIV. vbi pestis in poenam Dauid regi fuit diuinitus immissa. De his vero ait WILLI-
SIVS in Op. Med. videntur absque necessitatis praetextu multiplicare miracula et in quavis peste nouae substantiae creationem adserere; et HODGESIVS in Descript.
pest-*

pest. Londin. Quod ad rem spectat medicam, vbi cau-
sae naturales praeslo sunt, ad supernaturales configere,
tum arte Hippocratica indignum, tum rationi summe
iniurium reor. Alii pestem oriri tantum ex terrore
aut imaginatione, atque his solummodo propagari,
statuunt: vt RIVINVS in Diff. de peste Lipsiensi, et
BARTHOLD. FLOR. GERSTMANNVS, in tumulo
pestis hacenus metu veneni occluso, (vt loquitur) nunc
per principia recentiorum, per rationes, per sanam ex-
perientiam et exempla aperto et innoxio demonstrato.
Quibus vero contradicunt α) rerum testimonia ε) tot
seculorum experientia, qua scimus, neminem peste
corripi, nisi ex commercio cum hominibus aut re-
bus infectis, γ) exemplum Turcarum, qui contagiu-
m non negant, sed non metuunt, vnde plurimi
peste intereunt; inquiunt enim: Si mori fatum sit,
frustra declinatur; sin contra, stulte metuitur, referente
AVGERIO BVSBEQVIO Epist. 4. et PROSP. ALPI-
NO de Med. Aegypt. L. I. c. 15. et δ) infectio illorum
qui propter aetatem nullam periculi rationem habe-
re possunt. Alii denique, et plurimi quidem, adfir-
mant, pestem per contagium, aliunde aduectum, de loco
in locum transportari, atque originem suam ex Oriente
ut plurimum habere, ex Aegypto et aliis prouinciis Af-
iaticis, vt et ex Africa, vbi malum dicitur esse en-
demium, et inde diuersis modis Europae nostrae in-
ferri.

XXVI.

Cuius vero naturae sit venenum illud pestilentiale,
hactenus a nemine certis euictum est rationibus,
ideoque de eo non conuenit inter Auctores. Alii sta-
tuunt, virus pestiferum plerumque animatum esse,

C 3

sue constare ex plurimis exiguis vermiculis, insensibili per aerem volitantibus, tenacitatem et visciditatem habentibus, qua facile aliis adhaerescant, quod primus affirmauit ingeniosissimus KIRCHERVS lib. de peste, seet. 2. cap. 4. HIPPOCRATEM sibi ideo consentientem credens, quod ille filias totas incendi iussit, ad comburendas vermiculorum alas. Eam quoque sententiam nuperime amplexus est D. VITALIS, Protomedicus Veronensis, cuius epistola de malo contagioso recensetur in Commerc. Literar. Anni 1744. Hebdom. VIII. Alii accusant particulas acres et volatiles, massam sanguinis resoluentes, aut partem serosam a cruento separantes, et hinc obstructiones glandularum aut vasorum cutaneorum causantes, ut SYLVIVS; alii particulas sanguinem coagulantes, ut WILLISIVS, alii venenum rominant arsenicale, antimoniale, acidum, alcali, volatile, fixum. Non defunt etiam, qui in hunc finem instituerunt experimenta tam Anatomica quam Chymica. Qui in massam sanguinis peste defunctorum inquirebant, inuenierunt eam alii dissolutam, ut DIEMEREROECKIVS; alii coagulatam, ut WILLISIVS, MALPIGHIVS, LOWERVS et in primis PETRVS SALIVS, cuius in Tract. de febre pestil. et syncop. card. c. 4. haec sunt verba: Repertus fuit in arteria magna sanguis ita concretus, ut prehensio illius sanguinis altero principio, totus sanguis coalescens ita integer eductus fuerit, perinde ac gladius e vagina extrabi solet.

XXVII.

Bilem singulariter corruptam et sanguinem coagulatum seu inspissatum inuenit ANTONIVS DEI-DIER,

DIER, Medicinae Professor Montis Pessulanii, e cuius tractatu, sub titulo: *Experimenta facta circa bilem et cadaueria peste defunctorum*, anno 1722. edito, pauca excerpere libet. Dedit ille ex cadaueribus defumpta m bilem cysticam, quam semper in turgida vesicula nigricantem et obscure viridescentem inuenit, variis canibus deuorandam, aut iniecit in eorum venas, et factos vidit omnes primo tristes et stupidos, tertio vel quarto post die mortuos, cum omnibus verae pestilentiae symptomatibus. Inuenit porro in cadaueribus humanis cor maxime distentum et repletum sanguine nigro, coagulato et polypo, pulmones liuidos et gangraenosos, hepar duplo magis crassum, quam in statu naturali, et liuida purpura obductum, cerebrum et intestina inflammata. Bile illorum cadauerum cum spiritu vitrioli mixta viridescebat, et cum oleo tartari aut sale alcali fixo flauesceret; tandem concludit Auctor, pestem oriri a condensatione, et indole vitriolica acida et austera bilis in vesiculae accumulatae, quae sanguini admista illum condenset, hinc separatam partem serosam sanguinis et particulis iisdem corrosiuis infectam producere bubones, carbunculos et inflammationes gangraenosas, destruendo nexum fibrarum, et transmigrare etiam ad alios homines mediante transpiratione. Bilem vero ita corrumpi statuit a mala diaeta. Videtur sane industria huius Auctoris quam maxime laudanda, et multum facere ad effectum contagii, corruptionem nempe corporis, demonstrandum. Sed ipsum ortum veri contagii parum tangit, cum illud ex sola peruersa diaeta ducat, quae tamen malo pestifero haud sufficit producendo, et quam

quam semper pesti praegressam fuisse nemo fere ex omnibus Loimographis affirmat.

XXVIII.

Chemiam propter naturam contagii eruendam consuluit IO. ALPRVNGIVS *Medicus Viennensis*, et collectam ex bubone pestilentiali materiam post quam retortae immissam auctis ignis gradibus vrsit, vidit primum aquam, deinde oleosam materiam, tandem ad collum retortae salem adscendere; detraetio post igne, et separatis vitris, maximus foetor, qualis vix e mille cadaveribus (vt ipse ait) aestiuis solis radiis expositis halare potuisset, prodit, vt quamuis munita fuerint sensoria Alprungii, nempe goffipio aures, pessariis nares, os spongia, in acetis diuersis ac theracalibus imbuta, tamen quasi fulmine tactus ingenti temore concussus fuerit; fracta retorta, ineffabilis foetoris salem volatilem foetidum aqua e Regiae acrimonia non cedentem, extraxit. Salem igitur hunc volatilem foetidum materiam esse contagii concludit; sed oportebat meminisse Auctorem, primo, pleraque salia volatilia ex regno animali eundem praestare effectum; deinde, distinguendum esse inter venenum ipsum et inter productum ab eo; adeoque ex hoc experimento neutiquam deduci posse argumentum apodieticum.

XXIX.

Etsi vero naturam contagii sensu minus cernere et assequi possimus; tamen, si cuncta phaenomena, quae et pestilentia laborantibus eveniunt, in eaque defunctis deprehenduntur, recte aestimemus et cum iis

his conferamus, quae in curatione eius mali prae aliis profuisse visa sunt, id demum ratione et intelligentia comprehendimus, contagium sine causa pestilens veneni cuiusdam tenuium valde partium, acrisue et septici, particeps, ac eius esse naturae, vt per os naresque cum spiritu, vel cibo potionequ, vel per alios etiam poros et meatus penetrare, et cum omnibus corporis nostri humoribus commisceri, queat, potissimum vero crasin sanguinis modo citius, modo tardius, pro varia suorum et corporis etiam infecti virium magnitudine, ita peruertere, vt ille tam absoluenda circulationi, quam peragendis omnibus secretiobus et excretionibus ineptus euadat, et modo in glandulis et cutaneis subtilissimis vasculis aliquam sui partem derelinquat, veneno quoque infectam, quae ibi bubones, anthraces et petechias producit, modo in substantiam corporis interiorem, viscera nempe, membranas et musculos, suam exerceat crudelitatem, et ibi inflammations pessimas gangraenas atque sphacelos pariat. Ex tanta autem totius corporis corruptela necessario etiam efflunia, quae ex eodem perpetuo exhalant, et praecipue halitus atque efflatus moribundorum crassi ac nebulosi, magnam veneni pestilentialis partem secum in aerem auehunt, quem alii homines iterum hauriendo particulas venenatas simul attrahunt, et sic latissimam mali diffusionem promouent.

XXX.

Transuehendo autem in Europam contagio pestilentiali ex Oriente, vbi sedem suam fixam habeat, semper inferire aut personas infectas inde aduententes

D

entes

entes, aut merces, in primis goffyptium, sericum, linum etc. multis testimonis probant 10. KANOLDVS in Epistolis quorundam Medicorum de peste Marsiliensi, RICHARD MEAD in Dissert. de pestiferae contagionis natura et remediis, HODGESIVS de peste Londinensi, LVDOV. ANT. MVRATORIVS in tractatu, idiomate Italico exarato, de curatione pestis et methodo illam praecauendi, aliquie ab his Auctoribus passim citati.

XXXI.

Suscipiendo facilius et fouendo diutius eidem contagio aptiora redduntur corpora humana 1) ab aëris constitutione austrina, ventis minus perflata, aut putridis exhalationibus referata, qualis v. g. post magna praelia ab inhumatis cadaueribus tam hominum quam equorum, aestiuo praefertim tempore, oriri solet. Videntur ideo quidam inducti, ut soli aëri pestem adscriberent, adducentes HIPPOCRATEM, qui lib. de flatibus scribit: *Aér causa est mortalibus tum vitae, tum morborum aegrotantibus*, et, quod idem in peste Graeca multa hominum millia feruauerit, cum praeclusio aditu Austri spiritibus (cuius tamen artificii ope id effecerit, haud capio) solum Aquilonem admitteret. His vero optime respondit MEADIVS in Dissert. modo citata. 2) a vi imaginationis et mente concepti terroris efficacia, quae corpus debilitat, et motus oeconomiae animalis tam secretorios quam excretorios minuit, teste FRID. HOFFMANNO in Dissert. de methodo curandi pestem. Eam autem solam inducendae pesti non sufficere, supra iam tum monatum est. 3) a fame rerumque insolitarum aut corruptarum:

*rum copiosa ingestionē, potatione aquarum palustrium
et stagnantium, comeditione fructuum immaturo-
rum aut labo aliqua infectorum.*

XXXII.

Obseruari autem hic omnino meretur, quod
quaedam pestes certas quasdam corporis partes vehe-
mentius prae aliis adficiisse legantur; id, quod cum-
primis factum esse in peste Attica ex THVCYDIDIS
historia, in Parmensi ex ROLANDO CAPELLVTO
omnino dignum est petere. Sic ab AEGINETA pro-
dita memoriae est *colica pestis*, Lib. III. cap. 43. a FRA-
CASTORIO *peripneumonica*, a IO. WIERO *pleuritica*,
ab aliis *phrenitides*, *anginae*, *dysenteriae* et *hepatiti-
des* pestilentiales narrantur, quae tamen omnes mor-
borum potius aut febrium pestilentialium, quam ve-
rae pestis nomen mereri videntur.

XXXIII.

Circa Subiectum Pestis hoc etiam notandum
venit, quod quidem plerumque sine discrimine in
peste homines adficiantur; interdum tamen pestis
noni nisi certos homines corripiat, differentia obserua-
ta aetatis, sexus, temperiei, aliarumque rerum. Per-
inde scilicet ac in animalium genere pestes alias *bo-
ues*, a) alias *equos*, alias *oues*, alias *porcos*, alias *pisces*
tantummodo inuafisse scimus. Talis fuit pestis illa
Neapolitana, quam anno 1617. infantibus cumprimis
fatalem et breui temporis spatio ad sexaginta millia
eorum, intra septimum ab inuasione diem (quod

D 2

ferē

a) vid. RAMAZZINVS de peste bonina et LANCISII Dissert. de
bouilla peste et *Equorum Epidemia*, quales etiam haud ade-
pridem in vicinis regionibus grassatae sunt.

fere incredibile videtur), nihil proficientibus antidotis, extinxisse refert ATHANAS. KIRCHERVS lib. de peste Sect. I. Cap. 9. Et Sect. II. Cap. III. idem inquit: Pestis subinde iuuenes, nonnunquam mulieres, interdum virgines aut grauidas tantum inuadit, virili vero sexui parcit. In America indigenae certis morbis contagione plenis infestantur, immunibus ab iis Europaeis. Refert INGRASSIAS, Basileae pestem inualuisse, quae solos Heluetios infestauerit, minime Gallos aut Italos. Memorant et Historici Franciae pestem quandoque in solos nobiles et diuites saeuuisse, non in pauperes et medio-
cris fortunae homines. Pestem ultimam in Viennae suburbii apud plebeios tantum et infimae sortis homines suam ingluuiem depascuisse, et ad vrbis interiora haudquaquam accedere ausam esse, forte Sacram Caesaream Maiestatem CARO LI VI. gloriose memoriæ, reueritam, tradit BERNARDINVS RAMAZ-
ZINVS, Professor Pataquinus, in *Dissert. de peste Vien-
noni*, aliisque. In peste Dantiscana anni 1709. ratione
aetatis manifestum discrimen obseruatum, et illos,
qui a decimo ad trigesimum annum medium degre-
bant aetatem, grauioribus symptomatibus obnoxios,
imo plerumque mortuos esse, legimus in *Epistolis
quorundam Medicorum de peste Dantiscana a IO. KA-
NOLDO editis Anno 1713. pag. 37.* Ratione tempera-
mentorum etiam differentiam obseruatam ibidem
inuenimus, calidiores summam, frigidiores vero,
melancholicos, arthriticos, podagricos, heptica la-
borantes, multo mitiorem pestis virulentiam ex-
pertos, imo etiam crisi pro variis temperamentis
variam fuisse. Causam vero huius rei HIPPOCRA-
TES iam olim optimam attulit, qui *Lib. de statibus
inquit*,

inquit, *corpus a corpore, naturam a natura, alimen-*
tum ab alimento differre, cum neque cuius animalium
generi eadem sint commoda et incommoda, sed aliis alia
conueniant, alia vero noceant. Nec minus notatu di-
gnum est, quod, vigente pestis contagio, omnes fe-
realii morbi dispareant, aut, si qui oboriantur, statim
tamen in pestem degenerare soleant.

XXXIV.

Ad signa pestis imminentis, a nonnullis scriptori-
bus tradita, quod attinet, si recte illa examine-
mus, incerta deprehendemus; cum enim etiam
appareant, concomitante aut subsequente nul-
la peste, certi nihil inde concludi aut praedici potest.
Interim tamen aliqua ex illis hoc apponam. De-
sumta sunt partim *a corporibus coelestibus*, vt cometae,
coniunctiones et influxus siderum, eclipses; partim *ab*
aere et meteoris, vt incrementa stellarum, stipulae
ardentes, lampades nocturnae, pluiae prodigie-
sae; partim *a terra* et phaenomenis in illa apparenti-
bus, vt terrae motus, vapores nebulosi, crassi et foetidi,
annonae caritas, bella diuturniora; partim *ab*
animalibus, vt muscarum, serpentum aliorumque
insectorum abundantia. KIRCHERVS inquit in scrut.
Pestis cap. XI. Nullum apertius signum est epidemicæ
mox secuturæ infirmitatis, quam locustarum per aesta-
tem volitantia agmina, præsertim si colore ex flavo in
viridem degenerante constent. Sed ignoscat KIRCHE-
RVS mihi hoc signum pro incertissimo habenti,
cum a MAGNIFICO DN. PRAESENTE aliquando mihi
relatum sciam, in terris vicinis Borusio-Branden-
burgicis ante aliquot abhinc annos incredibilem fe-

re locustarum copiam apparuisse, et nullam tamen pestem ibi secutam esse.

XXXV.

Signa Diagnostica in prima pestis inuasione differunt pro varietate corporis infecti, tum etiam pro varia miasmati accepti qualitate et quantitate. *Quodsi subtilitate, qua potest, maxima pollet, ait syDENHAMVS, ut in principio et statu constitutionis epidemicae videre est, subito et quasi ex improviso calorem natuum dissipat, et aegrum e medio tollit. Verum eiusmodi subitanea extinctio rarius occurrit.* Vbi vero causa morbifica minus subtilis existit, et quasi obtusiori telo vitam impetit, tunc *maxime communia signa haec habentur*: horror subitus, vomitus, dolor capitis, dorsi et artuum, praecordiorum anxietas, virium subita et summa deiectio, pulsus celer, vigiliae, sopor. In vltiori eius progressu, tertio vel quarto circiter die, iunguntur his *signa vere pathognomonica, bubones vel soli, vel et carbunculi aut petechiae, raro carbunculi soli sine bubonibus.* Quandoque tamen etiam pestis tempore nonnullos homines, ceterum adhuc sanos, bubones in corpore percipisse, quidam de peste scriptores referunt, antequam male se habuerint, aut alia pestis symptomata senserint. Reliquorum signorum plurima conueniunt cum symptomatibus febrium acutarum, ideoque omnibus his recensendis me nunc supersedere posse arbitror.

XXXVI.

Prognosis mali pestiferi optime determinatur ex crisi bene vel male succedente, ex viribus aegrorum

rum et ex ipsis symptomatibus, de quibus tamen bene notandum iudicium b. BOETTICHERI Prof. Helmstad. in *Dissert. de Peste* §. 26. Symptomata, quibus haec lues stipatur, nonnisi incertam medentibus dedisse prognosin animaduertimus. Praeterquam enim, quod pro diuersitate constitutionum et circumstantiarum quae-dam omnino haec inter symptomata intercedat differen-tia, ut, quae his salutaria, alteri nociva sint magis, discrepantes etiam recentiorum Medicorum diuersis in locis factae obseruationes nihil certi statuere nosmet si-nunt. Interea tamen ex optimis signis prognosticis sequentia esse existimo. Quo facilius bubones egrediuntur et ad suppurationem abeunt, et quo magis grauia symptomata, cum primis respirandi diffi-cultas et anxietates, illis erumpentibus, minuuntur, eo maior vitae spes est. Ita et quo melius cibi appetentia, mens et vires, constant, eo meliori in sta-tu sunt aegri. Contra, quo difficilius bubones egrediu-ntur, eleuantur et maturantur, eo graviora adesse solent symptomata, et quo magis vires prostratae, mens et cibi appetentia laesae, eo magis periclitantur aegroti. Hisce nunc consideratis, progredior ad ipsa remedia tam prophylactica quam therapeutica antiloimica.

XXXVII.

Omnia haec remedia *ex triplici fonte* petenda veniunt, nimirum *Theologico, Politico, Medico*. Pri-orum necessitatem atque usum commendat pietas, qua Dei potentiam in augendis et minuendis pecca-torum nostrorum poenis noscimus et reueremur, ideoque summi ante omnia Numinis clementia in-uocanda, ut malum imminens auertat, aut iam pre-sens

sens mitiget. Secundorum cura magistratui potissimum incumbit, vt nimirum omne commercium inter sanos et infectos sedulo caueatur, et quicquid tam inducendo quam distribuendo contagio inseruire potest, longissime remoueatur; aut si iam pagus vel domus aliqua infecta, incolae includantur, appositis custodibus exitum prohibentibus. Sic olim *Herruriam*, sic *Silesiam*, sic *terras Luneburgenses*, cum pestis in *Holstia* et *Hamburgi* saeuiret, felicissime praeferuatas scimus.

XXXVIII.

Tertia, nempe Medica, remedia prophylactica, Diætetica, Chirurgica et Pharmaceutica, in vnum caput miranda sane opera collecta inueniuntur in Chirurgia III. d. N. PRESIDIS P. I. Lib. IV. Cap. X. Monet ibi primo, nullam adhuc praemunitonis huius rationem fatis certam ac tutam innotuisse; deinde improbat morem illorum, qui in hunc finem commendant alui frequentes purgationes, sudores, sacrificationes, phlebotomias, item spiritus calidores, antilimos vulgo dictos, et alia eiusmodi medicamenta calidiora, nec non antidota ex collo suspendenda. Promtissimum autem atque optimum praesidium in eo situm esse merito contendit, vt aut plane locus infectus derelinquatur, aut saltem, vbi manendum est, ab hominibus iam tum infectis eorumque vtilibus, item a nimio pestis metu, sedulo caueatur. Ad infectos nunquam accedere iubet alios, nisi adsumto ante cibo aliquo aut potionе valentiore, vt pane in vino hispanico aut acetо bono aut aqua prophylactica Sylui ebrio, aut sorbitione aliqua ex succolata; saliuam nunquam, praesentibus infectis, deglu-

glutiendam esse, neque diutius, quam officii ratio postulat, circa illos homines commorandum, manus atque fauces aqua cum aceto mixta saepius expurgandas et abluendas, sorbitiones calidas ex thea, coffee, scordio, saluia aliisque eiusmodi herbis alexipharmacis, adhibendas, accuratam victus rationem obseruandam, iusculis et sorbitonibus semper aliquid aceti aut succi vegetabilis acidi instillandum, vino Hispanico aut alio generoso modice vtendum, fumo tabaci adsuetis illam consuetudinem feruandam, non autem inuita natura introducendam; vitae genus consuetum non immutandum, in primis euacuationes consuetas continuandas, concubitum vitandum, spongiam denique aceto vel simplici vel rutaе aut lauendulae infuso madentem subinde naribus admouendam. His igitur nihil addendum ego censeo, praeter id solum, quod nuper demum anno 1742, IO. FRID. SCHREIBERVS in Observ. de peste in Vkrainia, non aptius dari præseruans adfimet, quam si quis, omni vespera, mercurii dulcis gr. j. cum camphorae tantundem deglutiat, quod idem medicamentum in ipsa etiam therapia pestis vitalissimum fore contendit, de quo infra pluribus edifferam.

XXXVIII.

Circa modum instituendi curationem ipsius pestis differunt fere omnes Auctores. Nec mirum, cum vera contagii natura adhuc lateat. Volunt alii, ut sanguis mittatur liberali fatis quantitate, inter quos potissimum eminent BOTALLVS et SYDENHAMVS; alii omnem venaesctionem reiiciunt. Vomitoria alii commendant, alii vituperant. Purgationes alii

E

lau-

laudent, alii vetant. *Sudores* alii maximos proliciendos tradunt, alii minimos. Videamus nunc, an et quo modo conciliandi sint. Id ante omnia euitum esse pono, non posse de vlo medicamento tam euacuante quam alterante dici, quod omnibus aegris pestis laborantibus sine discrimine et omni tempore conueniat. Exinde haec, vt mihi quidem videtur, fluunt *Consectaria*:

- I. *Venae sectio* non est celebranda, nisi in illis, qui notabilem sanguinis abundantiam alunt, et tantum primis morbi diebus, ante eruptionem bubonum, alias plerumque nocuisse obseruata est.
- II. *Vomitoria* non danda, nisi saburra in primis viis ex praegressa praua diaeta sui ablationem, vel nausea et conatus vomendi eandem, indicent, et tunc speciatim *radix hypocacoannae*, vt in aliis acutis, ceteris preferenda, vel et *vitriolum album*, quibus semper aquae calidae larga satis copia superingerenda.
- III. Eadem valent de *purgantibus*, et vitentur maxime ex his resinoso atque omnia fortiora, quae vires aegrorum magis debilitant; adhibeantur potius lenissima, *manna*, *rhabarbarina*, *marindinata*, *folia sennae*, et similia.
- IV. Ex *diaphoreticis* leniora conueniunt temperamentis calidioribus, vt infusa calida, *rad. storzonerae*, *herb. scordii*, *salviae*, *veronicae*, *theae*; pulueres diaphoretici ex *lapidibus cancrorum* vel *conchis*, *succo citri saturatis*, *nitro*, *camphora*. Fortiora alexipharmacæ exhibeantur tempera-

Mer.

mentis frigidioribus, vt *effentiae scordii, angelicae, imperatoriae, cum mixtura simplici.*

V. Reliqua etiam remedia variant pro varietate subiectorum. Plerumque tamen palmam aliis praeripiunt mitiora acida, (quia plerique conueniunt, quod natura contagii magis ad alcali vergat) vt *acetum, praesertim ex vino paratum, succus citri, limonum, decoctum bordei acidulum, serum lactis, item aceta composita, vt ruta, flor. sambuci et calendulae, aqua prophylactica Sylvi,* *Mixtura simplex, oxymel.* Eadem quoque vi-ces gerunt cardiacorum, in nimia virium prostratione, additis simul *aquis cordialibus et mix-turis roborantibus*, quas tamen nunquam aut parcissime, nec nisi probe diluta, ingrediantur acida mineralia et omnia valde spirituosa aut volatilia.

XXXIX.

Primaria in curanda peste indicatio est exterminatio miasmati ex corpore infecto, partim per dia-phoresin, partim per bubones & carbunculos. Id enim omnes fere et optimi Loimographi testantur, vix vilum sine bubonibus curatum, et legitimam horum tractationem esse etiam curationem pestis ipsius. *Virisque indicationi modo memoratae satisfit per medicamenta blande diaphoretica, quae humores a cen-tro ad peripheriam corporis determinant: speciatim tamen ad proli ciendos bubones externe cataplasma et emplastra attrahentia optimo cum successu adplican-tur.* Qui plura de bubonum et carbunculorum, vt et pestis ipsius, tractatione nosse cupit, euoluat **ILLVSTRIS**

DOMINI PRAESIDIS *Instiit. Chirurg. P. I. L. IV. Cap. IX. seq.*
vbi omnia solertissime explicata inveniet.

XL.

Supereft adhuc, vt de doctissimi SCHREIBERI
specifico antiloimico, supra notato, aliquid addam.
Contendit ille, pestem bubonaceam et luem vene-
ream in eo conuenire, quod vtriusque miasma diu
latere posfit in corpore humano, systemati feroſo in-
fēſum fit, et per inguinales glandulas (licet et per
alias, quamuis difficultius) se expelli patiatur, bubones in
vtroque malo nasci a fero sanguinis in cellulis glan-
dularum viscidiori, imo plane coagulato per mias-
ma, quod per illos tumores, vel integre, vel ex par-
te, ſemper tamen cum ſalute corporis adfecti elimi-
nari poſit. Cum igitur per mercurium dulcem coagu-
latio ſeri ſanguinis tollatur, et idem omnia fere mi-
asmatia contagioſa, vt variolofum, venereum ac fe-
brium malignarum, rabiei caninae, ſpinæ ventosae
et carcinomatofum, immutet vel expellat, qualita-
te alexipharmacæ mechanica, ideo credit laudatus
SCHREIBERVS *hydrargyrum, concisa et repetita doſi*
datum, aptum quoque fore miasmati pestilentiali expel-
lendo vel immutando. Ne vero mercurius primas vi-
as turbet, aut glandulis ſaliualibus aliquid incommo-
di intentet, *addendam illi iubet camphoram*, vt pote
quae virtutem habeat attenuandi, foluendi pituitam
venereum, lentorem febrilem et ipsum pestilentem, a-
deoque qualitates physicas alexipharmacas ſive pesti-
aduersas, quae, mercurialibus mixta, horum ſtimu-
los minuat, ipsaque traducat in minutifſimos ducus,
vt ibi operentur, coagulata fundendo, et ſola vi impul-
ſus; ſic exiguam doſin mercurii dulcis cum campho-
ra

ra esse medicamentum diaphoreticum, et repetitam saepius fieri sudoriferum. Hanc exinde *curationis methodum in peste bubonacea instituendam proponit: Primo*, quando tempore pestis ventriculus male affectus per sua signa noscitur, dari iubet vomitorium *ex hypocacoanna cum nitro, vel ex vitriolo albo*. Deinde quauis hora tercia sequentem puluerem exhibendum:

Rz. Antimonii diaph. gr. XV.

Mercurii dulc. gr. j.

Camphor. gr. ij. M.

Huic superbibendas ser'i lacris vel decocti hordei tepidi ʒIV. Tertio inguinibus adipicandum emplastrum aut vesicatorium aut de meliloto camphoratum. In peste autem carbunculosa pro utilissimo medicamento tradit corticem Peruianum, quod ille gangraenam et sphacelum, comites carbunculorum, fistit. Evidem omnino iudico, argumenta *Auctoris* et inde deducta consecutaria sanissimae theoriae inniti, sed opus habere, ut et in Praxin deducantur pulcerrima cogita, et suam veritatem ipsa experientia confirmatam accipient. Ne vero limites dissertationis transgrediar, finem hic facio, pium adhuc addens votum, hisce distybris inclusum:

Quantae tristitia, quantae sit causa ruinae.

Pestis, tot lacrumae totque sepulcra docent.

Multa licet Martis fugiant furore sub umbras

Agmina, plura tamen pestis in orbe necat.

Ergo tuos, vero qui te venerantur amore,

Ne premat hoc fatum, protege summe D E V S !

In primis etiam felix Germania nostra

Nescia sit tanti tempus in omne mali !

• 88) o (89

E 3

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQUE PRAECLARISSIMO
DOMINO CANDIDATO
S.
PRAESES.

apientissime quondam dixit rationalis Medicinae
parens HIPPOCRATES: ὁ ἱατός Φιλοσόφος
ἰατός, Medicus Philosophus Deo similis, eoque
breui indicare voluit insignem utilitatem, quam
Medicus ex studio sapientiae, quod Philosophi-
am vocant, capere, et sic Medicos vulgares et empi-
ricos, qui Philosophiam omnem negligunt, in utilitatem generis
humani, et speciatim aegrotantium, superare atque pae illis
excellere queat. Medicus enim Philosophus non rudi modo,
non illois, ut aiunt, manibus, curationes aegrotorum, ut
multi, prob dolor! facere solent, suscipit, sed probe perspi-
cit, multis aliis prius scitu opus esse, quam ut arduum
curandi negotium bona conscientia suscipere valeant. Nam,
qui Philosophus est, considerat primo mirabilem fabricam a-
nimatum, ut DEMOCRITVS iam olim aliquie fecerunt,
hominumque cum primis mirabilem fabricam, ut actiones,
quaes in corporibus eorum fiunt, vna cum earum causis, probe
cognoscat. Perpendit itaque, quibus organis et qua ra-
tione alimenta, quibus nutrimur et conseruamur, in ore no-
stro et intestinis digerantur, atque tandem in succum et san-
guinem pro incremento et nutritione corporis conuertantur,
qua ratione et per quas vias in sanguinem et cor nostrum
perueniant, quomodo sanguis et quem in finem a corde per
arterias et venas iugiter in corpore circumagatur, qua ra-
tione fiat illa adeo necessaria respiratio per motum thoracis
et pulmonum, quibus instrumentis artificiosissimis corpus ar-
tusque nostri tam mirabiles motus et actiones in usus adeo
multi-

multiplices perficere queant, quibus organis et qua ratione
sensus nostri fiant, et quam admiranda ratione hi contin-
gant, quaeque alia in corpore nostro sunt mirabilia et stupen-
da. Philosophus praeterea a dicit ac colit mechanicam, hy-
draulicam, opticam, acusticam aliaque studia mathematica,
quam ob causam iam diuus noster **HIPPOTRATES** in epistola ad filium Thessalum data eum monet, imo iubet, ut
Geometriam, quae multiformis et varia est, et omnia cum
demonstratione, ve scribit, agit, probe excolat. Nam stu-
dia haec, quantum in functionibus partium corporis huma-
ni intelligendis atque explicandis faciens, dici paucis non
potest, sed integrum librum, non epistolam breuem, quam hic
dare ad te volui, requireret, atque ex scriptoribus quam
plurimis recentioribus et Medicis, et Mathematicis, satis
videri ac disci potest. Porro Philosophus vegetabilium et mi-
neralium quoque, item aeris, ventorum aliarumque rerum
naturalium indolem sibi probe perspectam reddit, unde quam
maxima commoda in Medicum redundant. Praeterea Phi-
losophus morum et animi affectuum rationes ac tempera-
menta hominum considerat, et qua ratione ira, terror, me-
rus, tristitia, laetitia ac gaudium corpus nostrum adficant,
qualiaque vel commoda vel incommoda in corpore humano
inde prouenant, quae scientia quantam utilitatem Medico
in curandis morbis afferat, nec vulgus ignorat. Denique
Philosophus artem bene ratiocinandi et differendi probe dis-
cit, quae quantum in morbis et temperamentis aegrorum
bene cognoscendis, disjudicandis ac distinguendis, ac tandem
in aptis imo optimis indicationibus atque auxiliis inuenien-
dis ac rite applicandis, faciat, incredibile est, atque merito
anima totius Medicinae mihi videtur; si enim Medicus in
ratiocinando non satis peritus et cautus est, quam grā auissi-
mos saepe committit errores, multosque aegrotantes vel in-
serficit vel saltim eis valde nocet.

Tū verō, PRAENOBILISSIME DOMINE GANDI-
DATE, ductu SVMME REVERENDI ATQVE DOCT ISL-
SIMI PARENTIS, qui ipse magnus et Philosophus et The-
ologus est, et, quid Philosophia in omni studiorum genere pro-
fit, probe agnouit, animum ad Philosophiam mature et a-
rene-

teneris quasi unguiculis, ante quam ad Medicinam accessisti,
ita applicasti, ut Amplissimus Philosophorum Altorfinorum
Ordo, iam tertio abbinc anno, **TIBI** summos in Philosophia
honores ex merito contulerit, **TEQVE** Philosophiae Magi-
strum siue Doctorem creauerit. Postquam deinde ex Aca-
demia patria, Altorfina scilicet, in qua ipse quondam per
decennium fere, ut laetus recordor, Medicinam docui, in
luliam nostram venisti, rite praeparatus, hic Medicinam
omni, qua fieri potest, diligentia aque industria agitasti,
atque tam gnauiter hucusque continuasti, ut verum Medi-
cum, quallem **HIPPOTRATES** desiderauit, Philosophum
scilicet, **TE** in posterum praebere possis; id quod in Examini-
bus consuetis sic Collegio nostro probasti, ut omnes nos-
tros **Candidatos** **TIBI** similes exceptauerimus. Cumque eti-
am Tua, proprio Marte elaborata, **Dissertatio**, **TE** et Phi-
losophum, et Medicum, esse, satis demonstrat, hinc gratulor
Patriae Tuae suauissimae Norimbergae, cuius saepius haud
sine animi voluptate reminiscor, de tanto futuro Medico. Gra-
tulor **SVMME VENERANDO TVO PARENTI**, Theologo
et Philosopho, inter Norimbergenses nulli secundo, et Prae-
fidi Grauissimo Ordinis Teutonici, qui ibi vigeret, Florigeri
dicti, de tam egregio Filio, unde in senectute gaudium,
solarium atque auxilium iure sperare potest. Gra-
tulor denique et **TIBI, DOCTISSIME CANDIDATE**, de fel-
liciter absolutis studiis tuis Academicis et Philosophicis et
Medicis, atque ut omnia **TIBI** in posterum, ut auguror, fel-
liciter cedant, ex toto corde appreco. Dabam in Aca-
demia Iulia die X. Decembris A. R. S.
MDCCXXXIX.



01 A 6545




Sb.

V D 18

VON

B.I.G.



DISSESTATIONEM HANC IN AVGVR ALEM
HISTORICO - MEDICAM

DE

PESTE

CVI PRAEMISSA

EXPLICATIO RELIQVIARII S. SEBASTIANO
CONSEGRATI

P R A E S I D E

LAVRENTIO HEISTERO

MED. D. SER. DVC. BRVNOV. AC LVNEB. A CONSILIIS AVLICIS ET
ARCHIATRO PRAXEOS CHIRVRGIAE AC BOTANICES PROFESSORE
PUBLICO ET PRIMARIO ACAD. SCIENT. CAES. NEC NON REG.
LOND. AC BEROL. COLLEGA LONGE GRAVISSIMO FACULTATIS SVAE
SENIORE ET H. T. DECANO ATQUE BRAEVTIA
SPECTATISSIMO

PATRONO PRAECEPTORE AC PROMOTORE SVO

PER OMNEM VITAM PIE VENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS EIVSQVE PRIVILEGIIS
SOLITO MORE OBTINENDIS

IN IVLAEO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS

SOLEMNI ERUDITORVM EXAMINI

SUBMITTIT

AVCTOR RESPONDENS

M. GVSTAVVS PHILIPPVS NEGELEIN

NORIBERGENSIS.

DIE 22 DECEMBRIS MDCCXXXIIII.

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.